

**Disputatio inauguralis medica de lapide bezoardico orientali, physice et
medice considerato ... / [Christoph Wilhelm Vesti].**

Contributors

Vesti, Christoph Wilhelm.
Vesti, Justus, 1651-1715
Universität Erfurt

Publication/Creation

Erffordiae : Typis Groschianis, [1707]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/p5e9d7nn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

12
O. D. E. V.
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

LAPIDE BEZOARDICO
ORIENTALI,
PHYSICE & MEDICE CONSIDERATO,

Quam
FAVENTE DIVINO NUMINE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO &
CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLE-
SIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CA-
NONICO CAPITULARI SENIORE,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-
SILIARIO INTIMO ac CIVITATIS TERRITORIIQUE
ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE, &c. &c.

SENSU & AUTORITATE

AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN PERANTIQUA & ILLUSTRİ ELECTORALI ACADEMIA ERFFORDIENSI,
SUB PRÆSIDIO

DN. JUSTI VESTI, MED. DOCT.

Patholog. Professor. Publ. Facult. Med. Assessoris & p.t. DECANI,

DN. PARENTIS omni Reverentia colendi, cultuque filiali prosequendi,

PRO LICENTIA

Summos in MEDICINA HONORES ac INSIGNIA DOCTO-
RALIA ritè impetrandi,

Publicæ & placidæ Censuræ Eruditorum exponit

CHRISTOPHORUS WILHELMUS VESTI,
ERFFURTENSIS,

In Auditorio Majori, horis consuetis,

Die 15. Octobr. ANNI M. D. CCVII.

ERFFORDIÆ, Typis Groschianis, Acad. Typogr.



13290

DEO,
PATRIÆ,
PATRONIS
ET
PROXIMO.



I. N. J.
PROŒMIUM.



Ultima medicamina, salutarem
effectum in morbis desperatis
& intricatis praestantia, tam
in Regno Minerali (quod ex
gremio terrae suas exhaurit vir-
tutes medicas) & vegetabili,
(quod varias gignit herbas, flores, similiaque) quam
& animali (quod nobis ex multivariis animali-
bus, suis depromptis virtutibus auxilio est) repe-
riri, tam notum est, quam quod notissimum. Si
enim ex Regno Minerali Cinnabrim nativam & ð ij
consideramus, certe quotidiana testatur Experi-
entia, hanc atrocissimum morbum & Herculeum,
puto Epilepsiam, infantibus potissimum familia-
rem, saepius destruere, nec non malum hoc praecave-
re. Ex Regno Vegetabili si examinamus Opium,
illo nec in foro Medico carere possumus, cum illud

non tantum sedet dolores quosvis exquisitissimos,
sed & reliquis medicamentis interdum viam qua-
si praearet ad tutius agendum & operandum in
corpore humano. Quod & Celeberrimus Sylvius
suo olim tempore, summis laudibus extulit, inqui-
ens: Cum opio incepti meam Praxin, hocce autem
& illam absolvi. His verbis modò dictus Au-
tor necessitatem & summam ejus utilitatem
indigitare voluit, quo carere non possumus in
morborum curatione. In Regnum animale si paulo
penitius inspiciamus, obvium nobis venit Castore-
um, quod propter excellentes suas virtutes tam
necessarium est in Medicina, ut nullum ferme hodie
praescribatur medicamentum, in quo illud non re-
peritur. Ut taceam divinum illud Medicamen-
tum Bezoar dictum, in primis orientale, quod cum
in Arte Medica tam salutare edat effectus, & in
omnibus venenatis affectibus praescribatur, ut &
basin constituat in nonnullis compositis Bezoardi-
cis; ideo de praestantissimo hoc lapide thesibus sub-
sequentibus Disputationem conscribere, ejusque in-
dolem ac usum Medicum inquirere, ratum habui.
Supremum Numen implorans, ut suâ Gratiâ huic
Conatui meo adesse, eumque in sui Nominis Glo-
riam, proximi commodum, propriumque emolu-
mentum clementissime dirigere velit. TH. I.



TH. I.

UT propositi mei rationem habeam, disquir-
endum ante omnia erit, quale nimirum a-
nimal sit, quibus in locis degat, quibus ali-
mentis nutriatur, ex quo lapis bezoardicus
desumitur & in forum Medicum transfertur, qui Persi-
câ voce *Bezaar* dicitur, & derivatur à Vocabulo ejus
lingvæ *Bavel Pa* contra & *Zaar* Venenum. Est enim
animal, in quo lapis bezoardicus reperitur, maxime ale-
xipharmacum, vocaturque *Capri cerva* à *Schræd. in Phar-*
macop.

TH. II.

Est autem *Capri Cerva* hæc animal quadrupes, ma-
xime agile, acutissimo auditu præditum, partim simile
Cervæ, partim *Capræ* Europeicæ, paulo tamen quoad
longitudinem erectiora & longiora cornua habens & pel-
lem versicolore, *Tigridis* instar, vivens in Regione Persi-
ca vel alia Orientali. A Persis *Pasan* appellatur, vid. *Bon-*
nius in animadversion. ad Garciam ab Horto. Ab incolis
vocari solet *Capra montana*, cum in montibus vitam de-
gat, vid. *Clusius in Notis.*

TH. III.

In derivatione hujus Vocabuli Autores maxime in-
ter se discrepant, ita ut nonnulli ex Arabico articulo præ-
positivo *Al* & *Badzeher*, it. *Hagier*, id est, lapis, nec non
Hagar mons, originem deducere velint. Alii autem a-
liam sententiam fovent, conanturque affirmare vocabu-
lum *bezaar*, quod vulgo *bezoar* dicitur, potius & revera

esse Persicum , quam Arabicum, vid. *Serapio*. Afferunt enim *Zahar* vel *Zeher* in Persia denotare venenum , *Bad* verò seu *Pa* consignificare repugnantiam , item Græce *ἀντι* *adversus, contra* , uti superius dictum ; ut ita proprie significet antidotum seu antipharmacum. Plura inveniet L. B. de hac materia apud *Serapion* in *Tractatu de simpl. medic. Cap. 396*. Indis contracte vocatur *Bezar*.

TH. IV.

Minime autem concedendum est, Vocabulum *Bezaar* significare *Galbanum*, ut nonnulli volunt, cum illud virtutem egregiam contra venenum obtineat, quod quidam falsæ versioni , quæ huic errori occasionem dedit, tribuunt : *Attamen sitextum Avicennæ accuratius examinamus*, uti loquitur Deusingius in *Dissertationibus suis*, illud vocabulum reperimus *Barzed*, quod maxime discrepat & dissimile nostro vocabulo *Badzahar*,

TH. V.

Græcos & priscos Latinos perexiguam vel nullam cognitionem lapidis bezoardici habuisse , ex ipsorum scriptis constat , & post tempora Arabum præcedentibus seculis oblivioni rursus esse traditum , in eo quam plurimi conveniunt Autores. Accidit autem, ut in Italia olim febres malignæ seu petechiales grassarentur, quibus incrementum capientibus , Medici maxime commendârunt hoc medicamentum , eo ipso tempore æstimari cœpit ; ejusque fama , per secula nonnulla sopita , revivixit, omnibusque deinde Medicis innotuit. Quo comparato, postea homines sibi consuluerunt , & usque ad nostra tempora hoc remedium tanto fuit in pretio, ut lapidem hunc auro & gemmis æquiparent. Hinc in omnibus officinis venalis hodie est, nullusque morbus petechia-

techialis ferme absque hoc curari & à medio tolli posse, tradunt Medicorum quamplurimi. Fusius de hac materia scripsit supra laudatus *Deusingius*.

TH. VI.

In descriptione loci natalis itidem Autores valde variant, *Garcias ab Horto* dicit, non solum hunc lapidem generari in hocce animali & reperiri in Persia, sed etiam in Insula quadam, quæ à vaccis nomen adepta est, haud procul à Promontorio Commorim. *Clusius* autem statuit, hocce animal inveniri in India supra Gangem, montibusque Chinarum regioni finitimis. Inventi & fuerunt lapides Bezaares in Insula Peru: Cum vero illi lapides orientales præferantur occidentalibus, ideo & hic in Regione Peru repertus viribus inferior erit orientali, diciturque propterea occidentalis.

TH. VII.

Dixi in Thesi I, disquirendum esse in alimenta horum animalium, seu qualem petant cibum. Communiter Historici statuunt, quod hæ cervi capræ, in quibus reperitur lapis, herbas salutiferas depascant, quarum herbarum maxima sit copia in montibus, ubi vivunt. *Jac. Bontius*, referente *Deusingio*, scribit, se accipisse ab aliquo herbam, non dissimilem *Croco* & *Hermodactilis*, quæ crescat in magna copia in campis loci alicujus in Persia *Strabon* dicti, in quibus multæ cervi capræ vitam degant, has herbas devorantes, ex quibus postea lapis generari statuitur. Non solum autem hanc herbam, sed & venenum huic inhærens commestum, contribuere aliquid ad generationem hujus lapidis, affirmatur ab Autoribus. Existimant enim nonnulli, cujus etiam sententiæ est *Morardes*, lapidem generari ex commesto veneno & herbis depastis salutiferis.

TH. IIX,

TH. IIX.

Hoc itaque animal egregium largitur remedium generi humano, lapidem nimirum *bezoardicum*, omnia alia medicamenta alexipharmaca excellens. Asservatur siquidem hic lapis in omnibus officinis, variasque compositiones Alexipharmacas ingreditur, nec non in intricatis morbis salutariter adhibetur, unde in febribus pestiferis confugimus ad Anchoram hanc quasi sacram, circa quam potissimum ero occupatus.

TH. IX.

Bezoar itaque est medicamentum lapideum, generatum in proventriculo hujus animalis, à succo herbarum spirituosas & terrestres in se particulas continentium, & concurrente veneno simul commesto, quod excissū usui Medico inserviens, figuram habet variantem, ut ovalem, rotundam, oblongam, &c. Intus cavus est hic lapis, & instar cæpæ diversis q. s. lamellis compactus, magnitudine ut plurimum adæquans jugulandem.

TH. X.

Concrescit & generatur hic lapis, non in veri ventriculi cavitate, sed in Marsupio seu Proventriculo, qui receptaculum est omnium ciborum, donec post ruminationem, ut in aliis animalibus, ingenuinum ventriculum transmittantur. Lapis hic circa quandam tenuissimam paleam, aut ligni particulam, aut aliud subjectum concrescit, & veluti multis ex tunicis cæparum instar contextus, ut modo dictum, ob augmentum & nutrimentum, quod successive ex assumptis herbis accipit. Unde evenit, ut nonnulli atrum colorem, vel cineritium, alij pallescentem, vel virentem obtineant, nec non quoad formam maxime inter se discrepent, ut hic ovali, alter rotundâ, oblongâ, vel triangulari figura gaudeat.

TH. XI.

Cum vero nostris temporibus multa egregia medicamenta adulterentur, ut *Moschus, Castoreum, oculi* & similiaque, ita etiam hic lapis adulterando adeo corrumpitur, ut in præscriptione hujus abstinere Medicorum quidam jubeant. Hinc *Schræderus* in Pharmacia hæc habet: *Dantur & adulterati seu falsi lapides, confecti ex lapidum fragmentis pice artificiosè coagmentatis. Item ex creta, cineribus testarum, sanguine sicco & lapidibus Bezoar minoribus pulverisatis & cum liquore incorporatis. Item ex* & ij & io, *ignis artificio compactis ac tinctis. Qui sane non modo extra utilitatem, sed & cum detrimento in usum accersuntur. Henricus Mundus, Medicus Londinensis, in suis operibus Medico Physicis statuit, lapides hosce confici potius posse ex Lacca, quam Pice, in hæc etiam erumpit verba: Vereor autem, ut sinceri sint, qui nostris officinis veneunt, cum copia eos suspectos reddit, siquidem decuplo plus habemus, quam Persia & India queant mittere, aut hircos ejusmodi macerent. Facillime itaque unusquisque perpendat, quid de eo sit sentiendum. Quod autem nonnulli sinceri reperiantur & quo modo cognoscendi & à factitiis distinguendi, Thesisibus subsequentiis pluribus dicetur.*

TH. XII.

Multæ cautelæ vel notæ ab Autoribus incognoscendo seu dijudicando hoc lapide, & genuinum à falso distinguendo, passim traduntur. *Cæsalpinus* existimat, lapidem tunc esse sincerum, si dentes in hauriendo nigrescant, hinc & cavendum esse, ne hoc medicamentum dentes, demisso cochleari in fauces, attingat. Quæ sententia infirmo admodum stat talo; si enim verum esset, quod dentes nigrescant,

grefcant , fequeretur & hæc conclusio : Ergo lapis hic
habet vim causticam five acrimoniam corrosivam.
Quia autem hoc medicamentum teste experientiâ, nul-
lum plane saporem habet , hinc assertum hoc jure cadit.
Neutiquam tamen rejiciam opinionem Celeberrimi Dn.
Doctoris *Hoffmanni*, in Annotationibus supra Schroederû,
qui discrimen veri hujus & confectitii seu adulterati la-
pidis accuratius exponit, *Jünkius* in Lexico Pharmacev-
tico etiam notat , quod sit magna fallacia hujus lapidis ,
cum similis in equi & asini ventriculo crescat, qui tamen
occidentali magis est similis.

TH. XIII.

Optimus itaque censetur, nec pro factitio habetur, qui
colorem atrovirentem, tam internè, quam externè habet,
ejusque cavitas pilos vel simile quid continet, omnesque
probas ab Autoribus requisitas subit, usum medica-
lem, si adhibeatur alicui subjecto, præstet. Falsitatem hu-
jus lapidis accuratius cognoscere & animadvertere possu-
mus, si pulverisatum vulneribus inspergamus, externè-
que adhibeamus, & nullus editur effectus, factitius erit;
effectu autem salutari subsecuto, genuinus est , tutoque
internè adhiberi potest. Datur quoque *Bezoar* minera-
le, in rupibus *Ægyptiacis* repertum , constans diversis
coloribus; tantas autem vires non habet hic improprie
ita dictus Bezoar, ut possit moribus Scorpionum mede-
ri & veneno resistere, uti Bezoar orientale animale.

TH. XIV.

Lapidem nostrum bezoardicum orientalem, excel-
lentissimas & multivarias, in primis verò bezoardicas vir-
tutes possidere , experientia testatur , in quonam autem
illæ consistent, difficulter determinari potest. Superius

Th. VII.

Th. VII. fuit commemoratum, cervi capram simul vesci
veneno, herbis incumbente, hinc concludi posset, ani-
mal ejusque lapidem magis esse venenatum, quam salu-
tiferum & alexipharmacum. Sed respondetur, Experien-
tiam optimam esse rerum Magistram, & illud, quod her-
bæ superius commemoratæ incumbit, aut non esse vene-
num, aut in ventre cervi capræ ita immutari, ut salutare
& bezoardicum evadat.

TH. XV.

Probabile itaque est, virtutem nostri lapidis con-
sistere tam in substantia spiritiuosa concentrata, quæ ex
ejus odore fragrante inter tritandum percipi potest,
quàm particulis terrestribus singulari modo extructis,
aliisque, quæ accuratè describi nequeunt, Generales ejus
vires sunt putredini & veneno resistendi, acidum infrin-
gendi, sudorem movendi & corroborandi. Commenda-
tur quoque ad cordis palpitationem, item adversus calcu-
lum, ob vim diureticam seu calculum comminuendi &
resolvendi. Dictum lapidem autem gaudere vi corro-
borandi, summumque esse cordiale, illud ita intelligen-
dum esse puto, quod partim fragrans ipsius odor probet,
latere aliquam spirituositatem in illo, partim etiam il-
lud, quod spiritus dissipat, è medio tollat, humorum e-
bullitionem & spirituum orgasmum supprimendo.

TH. XVI.

Quamvis autem nullum dubium sit, quin medicamen-
ta quamplurima diaphoresin producentia, facultatem su-
am, imò potentiam habeant à particulis amaricantibus,
aromaticis, aliisque acris: Liquido tamen & constat,
quod multa reperiantur, quæ nullo sapore sint prædita,
multo minus acrimonium habeant, ob virtutem vero in-
ternam specialem sudorem movent, uti *Dn. Parens* te-

stat in *Institutionibus suis reformatis*, & quidem in *Lib. V. Cap. 3. de medicamentorum facultatibus*, §. 8. Verba ita sonant: *Dantur & alia diaphoretica, quæ non propter acrimoniam, sed virtutem, spiritus & humores acres temperandi, eorumque motum placabilem reddendi, sudorem movent, qualia sunt Lapis bezoar, & diaphoretic. simpl. & ꝑt. &c.* Quia igitur & hoc medicamentum non propter amaritiam, vel aromaticum saporem, sed unice propter virtutem internam sudorem promover, ideo non tantum per poros cutaneos, venenum in quavis parte peccans & subsistens expellere, sed etiam ob specialem facultatem bezoardicam, contagiosum febrile ac pestilentielle infringere valet. Maxime propterea in febribus malignis & petechialibus, it. Variolis & morbillis præscribitur.

TH. XVI.

Egregium etiam lapis bezoardicus cephalicum, antepilepticum, anticolicum, in primis vero antihystericum est medicamentum. Magno enim cum successu à Medicis vel Archiatri, aliisque Magnatibus hætenus propinatus fuit. Nec non vertiginem curat, maximeque convenit in Epilepsia, quatenus hi affectus ab acrimonia humorum in corpore nostro, & spirituum nimia agitatione dependent. Purificat insuper sanguinem, hinc in scabie & lepra maximum est remedium, nec non enecat vermes infantum, propterea inter anthelmintica à quibusdam refertur.

TH. XIX.

In colico dolore, qui tam à flatibus, intestinum colon nimium distendentibus, quàm ab inordinato fibrarum intestinalium motu dependet, lapidem hunc maxime convenire, scribunt Medici, ad ledendum motum convulsivum, nec non flatus maxime è corpore expellendos.

900

In aliis doloribus, five sint lancinantes seu contorquentes, grana vj. cum *aqua fœniculi* propinari possunt.

TH. XIX.

Maximum & salutare porro lapis bezoardicus medicamentum antihystericum est, maximumque solatium mulierum in omnibus affectibus uterinis. Ob peculiarem enim proprietatem & singularem potentiam omnes impuritates & sordes uterinas resolvit, dissipat & cum mensibus expellit, *referente Schrædero*, ut deinde motus convulsivus in nervis & fibris, à vasis uterinis obstructis ortus, per resolutionem & commotionem horum vasorum & aperturam inhibeatur.

TH. XX.

In dysenteria & diarrhœa quoque felici cum successu adhiberi poterit. Cum enim in hisce affectibus partim peccet, ut causa antecedens, acredo quædam sanguinis, nec non fermentum acre, tanquam causa proxima maxime erodens intestina, vasaque sint aperta & erosa, hæc non nisi curarari possunt, quàm per convenientia styptica seu adstringentia, & quidem talia, quæ fermentum acre temperant & præcipitant, illudque ab intestinis quasi avocant ac per sudorem eliminant. Qualia sunt, *Corallia rubr. præpar.*, *☿ Catech.*, *opium*, inter quæ & referri potest *Lapis bezoardicus*, qui fermentum acre per sudorem expellit & vasa relaxata contrahit & constringit.

TH. XXI.

Restat ut illas virtutes & modum operandi hujus medicamenti, quas Thesibus præcedentibus ipsi attribui & de prædicavi, explicem. Virtutem enim tam antepilepticam, quam antidysentericam quod cernit, *Beozar* in pertranseundo partes totius machinæ humanæ seu in peripheriam ductus, peregrinas sordes variasquæ hetero-

geneas particulas, tanquam causas antecedentes, corrigere ac immutare potest, quibus remotis, sanguis purior redditur & spiritus furibundi impetuosaeque commoti placabiles redduntur, motusque convulsi, in musculis & fibrillis nerveis locum sibi vendicantes, remittunt. Fermentum etiam acre corrigendo ac praecipitando, humoresque acres temperando, fluxum alvi cruentum inhibet, intestina jam erosa aut vasa rupta conglutinat & constringit. Modum autem operandi quod attinet, licet tam accurate perscrutari & determinari non possit, probabile tamen est, virtutem hujus lapidis diaphoreticam, multum contribuere ad removendos hosce effectus; siquidem hoc insigne diaphoreticum, mediante vellicatione in vasis sangviferis aliisque spiritum vitalem lacescit, fibras commovet, motum sanguinis adauget, ut lympham corruptam, cum omnibus heterogeneis particulis, una & humores noxios, in variis cavitatibus stagnantes, per glandulas & poros cutis in forma vaporis (totum enim corpus nostrum juxta *Hippocratem* perspirabile ac transpirabile, & secundum *Malpighium* glandulosum) protrudat atque expellat.

TH. XXII.

Convenienter etiam lapis bezoardicus propinatur, non nisi post adhibita universalia, purgationes, vomitus & venesectiones. Hinc *Garcias ab Horto* testatur, hunc lapidem non adhiberi ab Indis, nisi praemissa purgatione, quibus ad dispellendos morbos noxios in anno eo utuntur.

TH. XXIII.

Non solum autem interne adhibetur, sed & externe facultatem traumaticam & bezoardicam exercet, ut inter Theriacalia recte referatur, quæ à *ὀφρ. fera* & *ἀντίονου sano* denominationem obtinent, cum ad omnes venenatorum animalium

animalium morsus & ictus valeant. Nec non vulneribus,
instrumento venenato inflictis pulvis hujus lapidis in-
spersus medetur. Apertis etiam carbunculis pestiferis si in-
spargatur, omne venenum allicit, sicuti lapis *serpentis*
capillati venenum attrahit, ob influentiæ magneticæ ra-
tionem, uti illud ex *Matthiolo* refert supra laudatus
Deusingius.

TH. XXIV.

Ut tandem ad composita, quæ hoc medicamentum
ingreditur, deveniam, ita varij dantur pulveres, qui
propter ingredientia alexipharmaca, nec non propter
hunc lapidem *bezoardici* nominantur. Uti sunt *pulvis*
bezoardicus Sennerti, *Schneideri*, aliique. Elegantissi-
mus itaque pulvis est *Sennerti*, cujus compositiones sunt
diversæ, nec in omnibus officinis ejusdem bonitatis repe-
ritur: Descriptio verò hujus medicamenti genuina est
sequens:

Rz. C.C. Philosoph. preparat. ℥iij

Ocul. S. preparat.

Tr. Sigillat.

Succin. alb. preparat.

Corall. rubr. preparat. āā ℥ij.

Margarit. preparat. ℥ij.

Hyacinth. Rubin. preparat.

Off. Cord. Cerv. āā ℥i℥.

Lapid. Bezoard. orient. ℥ij.

Fol. ☉ Q. S. M. F. Pulvis.

Propinari potest in convenienti vehiculo hic pulvis o-
mnibus, febri malignâ, peste, variolis, morbillis, dysente-
riâ, diarrhoeâ laborantibus, nec non infantibus Epilepsia
sæpius correptis. Dosis sit in minoribus ℥℥, in adultis
vero ℥℥ & in die bis vel ter adhibeatur.

TH. XXV.

TH. XXV.

Minùs proprie vero illa medicamenta *bezoardica* dicuntur, qualia sunt C.C.Phiosophicè præparatum, omniaque tam vegetabilia, quam mineralia alexipharmaca; æmulantur enim solum naturam & efficaciam lapidis bezoardici. Nec ingreditur *bezoar Theriac: Mithridat: Tinct. Bezoardicam*, uti vulgus sibi persvadet: Hinc statim ex officinis hæcce afferri curat, siquid mali vel morbose corpus suum invadit, putatque ob bezoar in hisce remediis latitans, omnes morbos curari.

TH. XXVI.

Plura qui desiderat & hac materiâ delectatur, evolvere potest *Matthiolum & Deusingium*, item *Zwetfferum*. Animus enim non erat, profundius hanc materiam eruere & describere, sed saltem naturam & usum Medicum, ea qua fieri potuit, brevitate, disquisitioni & censuræ Eruditorum exponere. TU proinde, LECTOR BENEVOLE, mitiorem in partem interpretaberis, si in conscribendis hisce Thesisibus errorem forsitan commiserim, manea enim & mutila est nostra scientia & sapientia. DEO autem Ter Optimo, Terque Maximo immortales persolvo grates, quod, uti hæctenus, ita & jam in conscribendis hisce Thesisibus Inauguralibus, Gratiâ sua mihi assistere voluerit.

*Æterno Numini sit Laus, Honor &
Gloria in sempiterna Secula.*

